



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Thomæ A Kempis Canonici Regvlaris Ord. S. Avgvstini De
Imitatione Christi Libri Qvatvor**

Thomas <von Kempen>

Antverpiæ, 1617

Cap. L. Qualiter homo desolatus se debet in manus Dei offerre.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45760](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-45760)

mei solius beneplacito ac honore. Hoc
optandum est tibi , vt siue per vitam,
siue per mortem , Deus semper in te
glorificetur.

CAP. L.

*Qualiter homo desolatus, se debet in
manus Dei offerre.*

IDOMINE Deus sancte Pater, sis
nunc & in æternum benedi-
ctus : quia sicut vis , sic factum est : &
quod facis, bonum est. Lætetur in te
seruus tuus , non in se , nec in aliquo
alio:quia tu solus lætitia vera , tu spes
mea & corona mea, tu gaudium meum
& honor meus, Domine. Quid habet
I. Co. 4. seruus tuus , nisi quod à te accepit, et-
iam sine merito suo? Tua sunt omnia,
Psal. 87 quæ dedisti & quæ fecisti. Pauper
sum, & in laboribus meis à iuuentute
mea : & contrastatur anima mea non-
numquam usque ad lachrymas:quan-
doque etiam conturbatur ad se , pro-
pter imminentes passiones.
2 Desidero pacis gaudium , pacem
filiorum tuorum flagito , qui in lumi-
ne consolationis à te pascuntur. Si
da das

das pacem , si gaudium sanctum infundis , erit anima serui tui plena modulatione , & deuota in laude tua. Sed si te subtraxeris , sicut s̄apissimè soles , non poterit currere viam mandatorum tuorum : sed magis ad tundendum pectus genua eius incurvantur , quia non est illi sicut heri & nudiustertius , quando splendebat lucerna tua super caput eius , & sub umbra alarum tuarum protegebatur à temptationibus irruentibus.

3 Pater iuste & semper laudande , venit hora vt probetur seruus tuus . Pater amande , dignum est , vt hac hora patiatur pro te aliquid seruus tuus . Pater perpetuè venerande , venit hora , quam ab æterno præsciebas affuturam : vt ad modicum tempus succumbat foris seruus tuus , viuat verò semper apud te intus . Paululum vilipendatur , humilietur , & deficiat coram hominibus , passionibus conteratur & languoribus : vt iterum tecum in aurora nouæ lucis resurgat , & in cælestibus clarificetur . Pater sancte , tu sic ordinasti , & sic voluisti : & hoc factum est , quod ipse præcepisti .

4 Hæc est enim gratia ad amicum tuum, pati & tribulari in mundo pro amore tuo, quotiescumque, & à quo cumque id permiseris fieri. Sine consilio & prouidentia tua, & sine causa,
Ps.118. nihil fit in terra. Bonum mihi, Domine, quod humiliasti me: ut discam iustificationes tuas, & omnes elationes cordis, atque præsumptiones abiiciam. Utile mihi, quod confusio cooperuit faciem meam: ut te potius, quam homines, ad consolandum requiram. Didici etiam ex hoc, inscrutabile iudicium tuum expauescere: qui affligis iustum cum impi, sed non sine æquitate & iustitia.

5 Gratias tibi ago, quia non percisti malis meis, sed attriuisti me verberibus amaris, infligens dolores, & immittens angustias foris & intus. Non est, qui me consoletur ex omnibus, quæ sub cælo sunt, nisi tu Domine Deus meus, cælestis medicus animarum: qui percutis & sanas, deducis ad inferos & reducis. Disciplina tua super me, & virga tua ipsa me docebit.
Tob.13.
Ps.17.

6 Ecce Pater dilecte, in manibus tuis sum

sum ego, sub virga correctionis tuae
me inclino : percutere dorsum meum,
& collum meum , vt incuruem ad
voluntatem tuam , tortuositatem
meam . Fac me pium & humilem
discipulum , sicut bene facere con-
sueisti , vt ambulem ad omnem nu-
tum tuum . Tibi me , & omnia mea,
ad corrigendum commendo : melius
est hic corripi, quam in futuro . Tu
scis omnia & singula , & nil te later
in humana conscientia . Antequam
fiant , nosti ventura ; & non opus est
tibi , vt quis te doceat , aut admoneat
de his quae geruntur in terra . Tu scis ,
quid expedit ad profectum meum , &
quantum deseruit tribulatio , ad rubi-
ginem vitiorum purgandam . Fac
mecum desideratum beneplacitum
tuum , & ne despicias peccaminosam
vitam meam , nulli melius nec clarius ,
quam tibi soli notam .

7 Da mihi Domine scire , quod
sciendum est : hoc amare , quod aman-
dum est : hoc laudare , quod tibi sum-
mè placet : hoc reputare , quod tibi
preciosum appareat : hoc virtuperare ,
quod oculis tuis fordescit . Non me

K 3 finas

finas secundùm visionem oculorum exteriorum iudicare , neque secundùm auditum aurium hominum imperitorum sententiare : sed in iudicio vero , de visibilibus & spirituilibus discernere , atque super omnia voluntatem beneplaciti tui , semper inquirere.

*Bonau.
in vita
eius,
sap.6.* 8 Falluntur sæpè hominum sensus in iudicando : falluntur & amatores sæculi , visibilia tantummodo amando. Quid est homo inde melior , quia reputatur ab homine maior ? Fallax fallacem , vanus vanum , cæcus cæcum , infirmus infirmum , decipit dum exaltat : & veraciter magis confundit , dum inaniter laudat. Nam quantum unusquisque est in oculis tuis , tantum est , & non amplius , ait humilis sanctus Franciscus.

CAP. LI.

Quod humilibus insistendum est operibus , cum deficitur à summis .

IFILI , non vales semper in feruentiori desiderio virtutum stare , nec in altiori gradu contemplationis consi-